

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

LEONIS

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE XIII

CONSTITUTIO APOSTOLICA

De legibus iuribus ac privilegiis sodalitatis
a SS. Rosario

LEO EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

TIBI primum, arcano divinæ providentiae consilio,
ad supremam Petri Cathedram fuimus evecti,
oblata conspectu ingruentium in dies malorum,
Apostolici munera esse duximus expediendæ salutis
agitare consilia ac studere, quibus maxime modis Eccle-
siæ tutelæ et catholicæ fidei incolumitati prospici posset.
— Inter haec ad magnam Dei Matrem eamdemque repa-
randi humani generis consortem ultro animus convo-
lavit, ad quam trepidis in rebus confugere catholicis
hominibus præcipuum semper ac solemne fuit. Cuius
fidei quam tuto sese crediderint, præclara testantur ab
ipsa collata beneficia, inter quæ plura constat fuisse
imperata per probatissimam illam precandi formulam